



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

Alia Vita Auctore Cornelio Curtio, Ord. Augustiniani Historiographo
Generali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

EX ITALICO
SILVANI
RAZZI.
*Christus ei
sæpe apparet.*

*Ipsa diem
mortis, alia-
que prædicat.*

*Moritur,
splendenti fa-
cie.*

*Animum ejus
in cælum de-
ferri videt
quædam.*

*Impudicos
etiam mortua
aversatur.*

*Multi recon-
ciliati in ejus
morte.*

*Dolor capitis
curatus ejus
meritis.*

Visus restitutus.

*Mortuus sus-
citalus.*

*Corpus Oringæ
diu inte-
grum, cum
templo con-
bustum.*

sueverat, quod et sororibus ceteris molestia, et gravior ipsi dolor crearetur. Deinceps igitur (uti ipsa F. Joanni Capellano suo sub secreto confessionis aperuit) quotidie cum in sacra æde sacrificii tempore sancta hostia elevaretur, Christus se corporea specie in loco, in quo decumbebat, spectandum illi offerebat. Eidem Fratri Joanni octiduo ante diem suæ mortis prædixit, eventuras patriæ calamitates, aliaque complura ad monasterium illud pertinentia. Ipsa obitus sui hora tanta relucebat in ejus vultu lætitia, serenitas, splendor, ut facile apparetur felicissimam illam animam migrare ab hac vita, ut Christo æternum conjungeretur in cælis. Convocatis igitur universis sororibus, suavissimis verbis materno affectu eas consolata, feliciter requievit in Domino sub initium Januarii mensis, anno 1310.

32 Pia quædam matrona, Tergia nomine, dum precibus in majori æde Pisana vacat, ipsa qua e vita excessit hora, ejus animam vidit in candidissima veste ab Angelis in cælum gloriose deportari, quæ et ipsam his visa est verbis affari: Mecum nunc exulta amica mea Tergia, nam, ut cernis, Angelorum obsequiis ad æternæ vitæ stationem devehor. Permansit corpus ejus a morte multo quam ante speciosius et clarius; oportuitque, ut populi undique magno numero concurrentis pietati fieret satis, decem ac septem dies insepultum illud asservare. Non est vero silentio prætereundum, inter ceteros adfuisse quamdam non integræ famæ feminam, quæ ut in sacrum Virginis corpus defixit obtutum, illico Oringæ faciem sibi veste, qua erat cooperta, propriis manibus contexit.

33 Præter alia innumera signa ac miracula ejus meritis et intercessione perpetrata, multa hominum millia sub mortis ejus tempus, uti ipsa prædixerat, cum ante animis dissiderent, tum divini Spiritus gratia compuncti, in gratiam mutuo rediverunt. Aliquot ab obitu illius diebus Thomas Clericus, de quo supra egimus, cum gravi capitis dolore torqueretur, Virgini beatæ se commendat, et subito est liberatus.

34 Quidam ex Comitatu Florentino jam ab annis quatuordecim cæcus, visitato sacro corpore visum recepit.

35 Puerulum quemdam ex pago S. Miniati ad Tedescum in fossam aqua plenam prolapsum, ac die integro submersum, sub noctem inde mesti parentes eduxerunt, ac Virgini commendarunt, voto nuncupato: is subito restitutus est vitæ.

36 Alia plurima acciderunt miracula meritis beatissimæ hujus Virginis. Cujus corpus diutissime integrum, formosumque permansit, quasi recentissime vita esset destitutum. Sed Deo id permittente anno 1314 cum candela accensa esset relicta ad sacras reliquias, ingens exortum est incendium die 14 Augusti, quo et illud sacrum pignus omnino consumptum est, et pars magna monasterii. Orate pro nobis.

ALIA VITA

AUCTORE CORNELIO CURTIO,

Ord. Augustiniani Historiographo Generali.

CAPUT I.

Oringa ut virginitatem servet, domo profugit.

In Etruriæ valle ad flumen *a* Arnun castellum vetus est, nomine sanctæ Crucis illustre, pauca millia passuum distans a Florentia, *b* cujus imperium semper hæcenus tulit. Ibi Virgo nostra lucem accepit, obscuris progenitoribus et non extra viciniam notis. In lustrali fonte nomen ei Oringæ datum, quod postea usu perdidit; Romano populo eam a virtutibus nuncupante.

a
b
Christianæ
patria, et na-
tales.

2 Ætatem primam duxit puritate ipsa puriorem. Verba prætextata, quæ hodie pueri prima fari docentur, auditu illi tam molesta erant, ut a fundo stomachum cierent ad certum vomitum. Non ferebat candidus ille cælestis Sponsi thalamus vel minimi pulvisculi asperginem. Sermo omnium impurus illi morbus erat: et, quia non aliquando eum audire non poterat, infirma admodum valetudine utebatur. Ab hoc ergo malo in ætate adhuc puerili febrientem accedebat Sacerdos invocatus, ut eam de noxis, quas non potuit nisi levissimas habere, absolveret: sed quam pæne illam de vita prius absolvisset. Ut enim sub ejus oculos venit, tota cohorrui Oringa, ab intimis viscerum sedibus turbata, ut tantum non animam excreaverit: ita nescio quo occulto flagitio sordidus Presbyter ei continuam stomachi tempestatem, et perpetuum vomitum commovebat. Diceres eam, mare, sordium omnium impatientem. Quas ut evitaret, præmoneri a cælo, et præmuniri debuit illo Ecclesiastici antidoto: Sepi aures tuas spinis. Igitur intra domussuæ cancellos, conchæ in modum, se cohibuit. Oportuit bene magnum esse necessitatis articulum, qui eam foras extruderet. Quando tamen prodeundum erat, signabat nota aliqua ædium suarum limen, et ultimum plateæ angulum, quæ agnosceret reversura: ita raro viciniam exibat. Credidisses eam oculis orbam esse, quos in terram fixos nunquam inter ambulandum attollebat; non curiosos obtueri alios; verecunda magis ab aliis videri. Imo ut despicitui esset omnibus, adfectata sorditie deturpabat vultum. Culcitam, sordiumque humi capiebat, nuda pedes hibernis etiam in nivibus, quas sanguinis sui purpura passim tingebat.

Pueritia pu-
rissima.

Cap. 28. 28.

3 Quam primum fari didicit, didicit affari Sponsum suum, cui a cunis ipsis placuerat. Huic totas noctes sæpe dabat: dies non poterat, præsertim in ætate majuscula, quando ad rusticum opus domesticæ ærumnæ eam urgebant. Abi Oringa, et hunc scipionem in manus sume, ac curam gere boum pascendorum: patris præceptum erat. Quid reponeret puella octennis? Vidisses alteram istam Rebeccam, confestim ad patris nutum se accingere, ad pascua boves voce manuque abigere, domum redigere Sole vocante. Sed dum pecua ruri Virgo pascit, suum interim Pastorem non negligit. In silva aut campis designat bobus certum pascui loci spatium, præcipitque ut ne frumentum bonum vel lambendo attingant, herbis tantum sibi proficuis vescantur. Illa iterea in foveam aliquam aut truncum arboris sese abdit, et Sponsum, ejus amore flagrabat, repetitis precibus invocat. Quis non credat prorupisse e carectis statim cælestem istum Amasium, et ad desideratæ suæ calida vota advolasse? Enimvero, dum Oringa Sponsi deliciis fruitur, boves magistræ suæ sarta tecta mandata servare, graminibus vagis et silvestribus se implere, ultra præscriptum spatium ne latam quidem unguam transire. Quidni bruta illi obedirent, quando, qui ea creaverat, Sponsæ suæ servire non abnuit?

Boves, quos
pascit, illi
obediunt.

4 Vix alterum vitæ suæ lustrum superaverat, cum germani ejus fratres (ad plures abiverat cum matre pater) illam nuptum collocare volunt. Quid hoc erat aliud, quam saxa et lapides virgini loqui? Ea, quæ cælo se desponderat, quomodo cœnum amet? Quis ei nuptias persuadeat, cui verba nuptialia vomitum excient? Oringa benigne respondere fratribus; Christo se copulatam esse, non posse alii conjugari. Illi vero, ceu fatuam, sororem increpare, et ad nuptias urgere verbis, cogere etiam verberibus obstinatam. Nihilo tamen illa mollior, jam caute induerat, indurueratque ad omnes linguæ et manus injurias: Quotidiana tamen procella, qua in puellam teneram sævi fratres immaniter debacchabantur, minabatur ali-quod nanfragium, nisi ratem huic tempestatem commode subduceret. Æstu ergo cogitationum dubia huc
illuc

Ad nuptias a
fratribus
frustra cogi-
tur.

illuc se flectit, quæritque qua porro evaderet. Ut erat ætate et sexu infirma, alieno consilio atque auxilio indigebat. Utrumque solus ei Sponsus dare poterat, et qui negaret?

Fugienti flumen cedit.

3 Auctore illo proripit se in fugam, procul a mælesuadis fratribus. Sed curriculum ejus nimis cito stitit obvium sine ponte flumen. Hic instar damæ trepidans a latratu insequentium canum, vertit se ad eum, cujus instinctu tantum stratagema adornarat; et in preces effusa, eum integritatis suæ tutorem invocat. Satis erat se illi commendasse. Non ultra sollicita, recta flumen ingreditur; et ecce, dividenti bus se, et in muros crystallinos aquis surgentibus, via aperitur Virgini, quam pede omnino non madidato transivit.

^a Arnus Florentiam Pisasque perfluit, nobiles Etruria urbes.
^b Silvanus Iazzi dicit esse in Comitatu Pisano. Fere medio inter Pisas Florentiamque spatio situm est.

CAPUT II.

Lucam tendit, civi ancillatur, peregrinatur ad montem Garganum.

Dæmonem ei vim minantem Angeli fugant.

Nondum tamen putavit se reperisse securum a fratribus tutamentum, nisi Lucam eodem pede iret. Et jam Altupassum attigerat, Sole pæne emortuo, cum alterum Virgini obicem molitus est omnis boni æmulator diabolus. Ille monstrum pro more fedum horridumque induerat, ascenderatque equum terribilem et omnimodis informem; videbaturque furiæ cursu ruere in Oringam. Illa autem subito pavitare, et credere se jamjam obtritum iri immanibus hujus equi soleis; nisi submissi cælo candidi duo equites atrum istum suo obtutu ceu fulmine dissipassent. Sed et illi ipsi sensim agnorum mitissimorum instar disparuerunt. Ibi Oringa, Dominus, inquit, mecum est, quasi bellator fortis : qui persequuntur me, cadent, et confundentur vehementer. Tranquillitatem porro hanc tempestas nova et repentina turbavit.

In silva pernoctantem illi iidem recreant.

7 Ceciderant de altis montibus densæ umbrae, et lucem mundo eriperant: surgebant silvarum crebra dumeta, quæ viam mero meridie impedirent. Hic manere Oringa, hic sub dio noctem traducere, et hospitium gratuitum capere debuit, ferarum omnium rictibus exposita. Cui hæc etiam virilem animum non frangant? Ut ne virgineum turbarent, effectit cælestis anteambulo, qui splendore multo illustravit, eamque nemoris partem florida amœnitate temperavit. Attollebant se per continuum ordinem hinc inde veluti industria manu consite arbores; fragrabant sub pedibus suaveolentes herbæ; ridebat multicoloribus passim floribus variegatum pavementum : totum denique locum dixisses opus esse illius qui paradisum plantavit. Acedebat ad tantas delicias aliud solatium, quo Virgo noctem et curas falleret. Lepusculus, qui hominis etiam umbram timet, ausus est Oringam adire intrepide, et ludos facere; non aliter, quam in nutricis manu catellus, familiariter blandiri, in gremium ejus declinare caput, et omnino suaviari. Admirata Virgo animalculi confidentiam: Cur non arripis citam fugam, inquit, o miselle lepuscule? Quid si teprehendam? liceret enim, si liberet. An in isto meo sinu te securum putas, quæ ego ipsa trepida fugam capesso? Inter hæc puellæ et lepusculi suaviludia, aurora mari caput suum extulit, et Solem ac diem vicinum nuntiavit. Ubi nunc cælestis ille ductor, qui Oringam in viam regiam collocet? nullum enim vestigium apparet, nullum rectum iter, quod queat insistere. Ibi lepidus ille lepusculus ducis assumit officium, monetque hesitantem nutu, supra quam brutali, ut sequatur. At vero, ubi Lucensis semita videri potuit, lepusculus, quisquis ille fuit, seu Angelus, seu lepus Angelicus, videri etiam desit.

Pro ancilla servit.

8 Lucam ubi ventum est, fortuito, sed non sine numine, reperit illic primi nominis civem quandam;

cui in obsequium se dicavit, nihil pro servitio pacta, præter spatium aliquod temporis extra ordinem liberum, quod supremo Domino impenderet. Justa ab justis impetrare facile est. Non tantum ergo de die solido bona pars, sed totæ illi noctes concessæ, quas genuflexa inter preces sæpe integras transmittibat.

AUCTORE CORN. CURTIO.

9 Secretum porro elegit in summo ædium, ubi procul a strepitu Deum suum alloqueretur. Bene si turbam hominum fugiebat: sed dæmonum insultum neque illic potuit effugere. Primum ergo infernalis hostis occultam pugnam et vim animo ejus facere suggestionum ignitis jaculis; deinde, cum frustra conatus iste esset, manifestum bellum bellare. Orantem noctu aggreditur, horrendum hians, ore tam late ducto, ut ipsam inferni januam crederes. Fremittum addidit, ediditque tam immanem, ut contiguæ domus a fundamentis concuti, et susque deque rapi viderentur. Virgo primo quidem pro naturæ suæ imbecillitate tremere ad rictum tam horrendum monstri tartarini; sed paulo post animum recipere, et convertere se ad principem cælestis militiæ Archangelum, quem subitario in timore invocare assueverat. Simul adfuit, et solo aspectu longe jubens facessere inane terribilamentum, Oringam plenis solatii gaudiis inundavit.

Dæmonem iterum ei insidiantem S. Michael repellit.

10 Divinis ergo quotidie hostentis recreata cœpit magis ac magis suo se Sponso Jesu allegare : a quo deinde jussa alium terræ angulum, ubi habitaret, quærere, statim herum suum adiit, et, ut nutum suum cælesti imperio subscriberet, obsecravit. Ille autem, cui religio erat Dei placito non extemplo obsecundare, vale illi libentibus quidem, sed madentibus oculis dixit.

Alio migrare divinitus jubetur.

11 Inde paullulum provecta, reperitaliquot de sexu suo comites paratas ire ad Garganum montem; ubi summo Angelorum Michaeli, cui jam pridem religiose devota erat, singulari obsequio, pro præstita paullo ante ope, gratias ageret. Et jam isto in itinere plures dies insumpserat imbellis hæc turba; cum altera sexus alterius eam assequitur, visa ad simile pietatis officium idem iter moliri. Sed revera latrones erant, quibus de earum corpore simul et anima rapere spolia certus animus erat. Una ergo itum est: donec ambigua quædam semita occurreret, qua in transennam duci possent imperitæ; Sole etiam, qui cubitum abibat, connivente.

Ad Garganum montem peregrinatur.

12 Trahunt prædones femineum hunc cœtum in viam aviam, ad desertam casam, destinatum latrocinio specum, jam nunc exercituri ad vim brachia; nisi iste, cui hanc peregrinationis molestiam consecraverant, in tempore, novo auxilio, adfuisset. Ecce enim, juvenis quidam exuvias draconis indutus, homine altior, illustratis luculento radio tenebris (pro Hercule suo Ethnici eum adorassent) voce Stentorea: Exite, exite, ait, filie: frustratur vos animarum corporumque latro capitalis, et utrorumque vobis bonum eripere ardet. Dixerat, et a via fatigatas intus atque extus recreat, et sequi se jubet. Porro cum illis secedens ad fontem, aquis supra omnem ambrosiam dulcibus scaturientem, eduxit, quod sub veste gerebat occultum, haustum, et liba quædam; eaque cum fonte, pro cibo et potu illis propinavit. Manna sumpsisse se dicebant, quod pro palati diversitate diversos saporis dulcedine appetitus earum accenderet potius, quam satiaret. Inde itum ad honestum diversorium, in quo corpora humano modo curarent; si quid curandum restabat, post cauponis illius divini Angelicum epulum. Ibi tum S. Michael evanuit, qui tamen post iterum iterumque illas in via aspectu suo recreavit.

Ope S. Michaelis prædones manus evadit.

CAPUT III.

Roma Assisium profecta, sæpius divina ope defenditur, illustratur.

A monte Gargano descendit ad sacra Apostolorum limina;

AUCTORE
COEN. CURTIO.
Romæ in
familiam
cujusdam
matronæ
transit.

limina; quæ, et alia Urbis templa, religiose devenerata est. Inter hæc pietatis exercitamina, de monasterio extruendo consilium capit: quod obturbavit, divino indubie nutu, Monaldus Franciscanus, qui Margaritæ viduæ cuidam piæ atque opulentæ eam commendavit. Placuit matronæ eximia Virginis in dolores: quam benigne habitam, juxta morem Urbis et familiæ suæ, splendida veste amicit. Oringa vero, quæ aurato vestitu non plus delectabatur, quam equus phalerato tegmine, peregrino primum obvio amictum hunc pretiosum condonavit, vili suo et paupertino integumento contenta. Quod non semel ab ea factitatum, urgente, qua erga pauperes ardebat, caritate. Illudque non modo Margarita vidit oculis non iniquis; ut etiam sibi blandiretur et gauderet animo de hac famulæ suæ prodigalitate.

Illic a virtutibus nomen
Christianæ
accipit.

14 Imo illa ipsa, quæ, uti matrona, poterat ab ea abjectiora obsequia exigere, in parte felicitatis habuit, si Oringæ suæ posset ancillari. Denique tam rara in Virgine hac eminebant Christianarum virtutum specimina, ut passim Romæ solo Christianæ nomine appellaretur. Quod usucapione tam celebre esse cœpit postea, ut Oringam nemo cognosceret.

Assisium tendit.

13 Romæ non admodum diu hæserat, cum interea loci sentit accendi se desiderio visendi Assisium Umbriæ oppidum, celebri fama et religione S. Francisci insigne. Postquam secum, deinde cum Deo rem serio deliberasset; viduam etiam, quam pio sanctæ necessitudinis vinculo sibi arctissime obstrinxerat, comitem peregrinationis istuc trahit. Simul eo pervenit, veneranda templum ingreditur. Ibi porro quid inter orandum ei acciderit, operæ magnum pretium est cognoscere.

Ædificandi
monasterii
graphidem in
somno videt.

16 Precibus longis ferventibusque cælum seque fatigaverat, cum repente dulcis illi obrepit somnus, rerum post venturarum clara imago. Videt monasterii (quod Crucis-Castellani postea civi suæ erexerunt) prototypum exemplar; et in eo virginum egregium gregem, quas in clientelam tutelamque suam Deus dato fidelis promissi arrhabonerecipiebat. Videt quoque angulum oppidi, fundanti cenobii locum vilem atque abstrusum celebrari, et animarum divite cum lucro statim inclarescere. Incredibile memoratu est, quanto istud non inane in somno simulacrum eam gaudio perfuderit: ut partem ejus dare voluerit populari cuidam suo, qui id temporis magistratum Assisii gerebat. At ille, veluti auilem fabellam et merum somnium risu excipiens, cœpit spirituales istam sementem vertere in carnale zizanium. Captus est, inquam, forma Virginis, et insano amoris igni correptus ardere visus est furialem in modum. Cujus incendii non jam scintillæ, sed faces erant putida impudentis linguæ lenocinia, quæ inverecundo et prorsus in omnem lasciviam solutissimo ore, vesanus ille procus ejaculabatur. Virgo mirari primum ineptiam petulantiamque hominis; deinde reddere illi pro blandis aspera, pro libidinantibus minacia mordaciæque verba, et indignatione totum accendere, qui prius amore arserat.

Pudicitiam
ejus quidam
tentat.

18 Judex igitur duplici igne æstuans et amoris et furoris, cum humana omnia molimina incassum fore divinaret, diabolica imploravit; quibus infestam Virginem habuit miserandis modis. Illa, ubi sensit immanem hostis occulti impetum, desperare de victoria, nisi aliud alicunde præsidium inveniret. Ergo uno curriculo ad ædem sacram confugere, in qua S. Francisci auxiliatricem, Sponsi vero sui in primis protectricem manum invocavit. Dum pugnam autem hanc pugnat Christiana, et vincit, ad lauream immortalitatis invitatur mirabili ostento.

Ostento mirabili a Deo honoratur.

19 Ecstatico animi motu extra se rapta vidit mentis oculis urbem novam Hierusalem; quam Angelus non memorabili fulgoris sui radio tam clare illustrabat, ut Sol, qui diem nobis facit, nox videri possit ad

hanc Angeli lucem comparatus. Vidit et sedere Sponsi sui Matrem Virginem, quæ Augusto in throno filii sui, induta sidereum vestimentum, ex argenteis quasi stellis divina manu contextum, præ se ferebat humana omni majorem majestatem. Porro cives novæ illius Hierusalem, veluti sacri quidam Salisubuli, ad numerum et in orbem circum urbem totam saltabant numquam cessante tripudio, nisi cum thronum perfecto circulo repeterent; ubi tum cernua modestaque veneratione Reginæ inclinabant, Christiana vero dum humi flexis humiliter poplitibus, et in preces, corde, quantum erat, effuso adorat Sponsum suum, Genitricemque ejus, et sanctum Saliorum istorum chorum, audit Christum in hæc dulcissima verba loquentem: Cara mihi sponsa Christiana, attonito animo miraris tantum honoris deferri Matri meæ a cæli incolis; obstupescis ad chlamydis ornamentum, quo fulget. At nescire non debes, solenniter hodie celebrari in cælis festum Conceptionis ejus quæ me Deum hominem, sancto Spiritu cooperante peperit; vestem quoque illius, singulari candore illustrem, significare virginitatis ejus incommunicatum aliis privilegium, quo meruit esse semper Virgo Mater. Subdiditque: Tu autem promissam hujus gloriæ partem a me accipies, quando naturæ, quod debes, solveris. Et cum aperto ore quasi hians conaretur dignas Creatori suo gratias dicere, ecce, eodem in loco, quo precandi initium fecerat, solam se videre doluit, quæ paulo ante Beatorum consortio se frui in cælo gaudebat. Neque statim credere sibi potuit se esse Christianam: quod perpetuaret in vultu ejus splendor quidam cælicus, nares floridulum adhuc odorem spirarent, aures Angelicæ harmoniæ musico sonitu tinnirent, ipsum denique corpus, quasi carnis excussa mole, agilitatem spiritualem induisset. Ab hoc viso cœnobium suum nomine Mariæ Novellæ indigitavit, et sanctæ Conceptionis festum quotannis celebriter colendum perpetua lege sanxit. Sed unde abieram, ad impudentem atque impudicum istum amasium, Judicem Assisiensem revertor.

20 Is ad decerpendum, qua vi, qua astu, hoc castitatis pretiosum lilium, impurum animum obstinaverat. Infernales ergo genios horrendo evocare metro placuit; a quibus in Virginis oratorium se transferri severo magici imperii edicto jubet. Rapiunt miserum demones capite resupinum, proxime loco, in quo, splendidissimo miræ lucis radio circumfusa Christiana cum Deo loquebatur; neque potentes aut obtineri in Virginem, aut adire propius, ululando horrendum clamittant: Actum se agere et operam perdere; Cæciliæ olim custodem Angelum Christianæ adstare, manumque exerere et fulminantem gladium minitari in accedentes. Quo dicto, immanem ululatum reptunt, et quem advexerant sceleratum Judicem, abripiunt secum ad carceres penarum æternarum.

Qui vitium
afferre Virgini
tentat, a
demone rapitur.

21 Per idem tempus Assisii, dum in æde D. Francisci assidua est, contigit res maxime memorabilis, quæ de pietate ejus erga Deum et homines palam fecit. Illic dum forte sacris assistit, subintrant viri duo legibus proscripti, et contra omnem loci atque officii, quod sacerdos in ara peragebat, reverentiam, ad sessibulum et somnum sese componunt, et condormiscunt. Adarcantum sanctæ transsubstantionis mysterium ventum erat, et illi non movere se. Quod limis oculis notat Virgo, impiosque aggreditur, et verbis acerbis castigat, simulque jubet corpus et cor erigere ad Deum quam mox sub panis umbra aspectabilem. Unus sermo non eodem modo utrumque pupugit. Hic enim cum luctantes somno oculos detertisset, genu ad pietatem flexus adoravit latentem sub orbiculo orbis conditorem: ille vero ad ranchos caput declinavit iterum, Dei sui que negligens. Culpam pœna premit comes. Ecce, ædem ingreditur cum apparitoribus suis Prætor, ære campano ad Christianæ pietatis

Virum legibus
proscriptum
satellitum
manibus
eripit, et ad
Deum convertit.

pietatis jussum obsequium vocatus; an ad vindictam potius tanti flagitii divinitus missus? et proscriptos hosce a vultu et notis aliis confestim agnitos raptari jubet ad vincula et supplicium ultimum. Obstupida quasi ad hanc vim Virgo: Bone, inquit, JESU, istene ad mortem rapiatur, quem ego impio lethargo eripui atque excitavi ad veram tui latrariam? Obsecro te, Domine clementissime, ut hunc, quem tibi quodammodo peperisti, filium mihi restituas. Dictum, factum. Proscriptorum iste se expedivit e vinculis satellitum, omisso pallio, effugitque virtute ejus, cui omnia obediunt. Asylum autem reperit ad eamdem S. Francisci: ubi monachum quoque induit, et vitam religiosam sancto fine transegit. Alter vero, qui aures bene monenti Virgini dare noluit et Deum suum agnosceret, agnovit Judicem, caputque dedit carnifici amputandum.

CAPUT IV.

Cænobium construit: obstacula perrumpit.

B. Verdianam
invisit.

Ceterum Assisio egressura, locum in valle Elsanæ non obscurum, Castrum-Florentinum petere instituit, B. Verdianæ salutandæ ergo, quæ Vallis-Umbrosianæ Ordinis sanctionibus conformiter vivere professæ, illic ab hominum adspectu reclusa habitabat. Quia vero illinc non multa passuum millia aberat Crucis-Castellum, Christianæ natale solum, Romana vidua ejus videndi cupidine urgeri cœpit. Reluctari primum visa est Christiana: sed cum eodem cælum impelleret, eundem tandem erat.

Ex oppido
Crucis-Cas-
tellano exire
volens oc-
cultâ vi tepe-
jur.

23 Ibi cum hæsisent ambæ dies aliquot, ambæ exire frustra nitentur: Christianam enim pedes deficiebant. Ut sciret non esse de nihilo hanc infirmitatem, in Castello ambulabat gressu quidem libero: sed non tam cito de exeundo cogitaverat, quam obri-gescerent illi pedes, terræ quasi adfixi. Stupere utraque, et mirari miraculum. Quid facerent? Deum vocantem sequi Virgo cogebatur: eidem non obsequi vidua nefas putabat. Videns igitur se divelli ab ea, quam Christus tenebat, tenerrimo osculo Christianam suam amplexata, cum se ejus precibus amice commendasset, abiit unde venerat.

Ibidem par-
thenonem,
juxta visam
ante graphi-
dem, insti-
tuit.

24 Sola jam Virgo, inter primas statim curas secum reputat, quibus eximiiis studiis Sponsum sibi potissimum demereri queat. Redit memoria instituendi parthenonis, cujus voto jam diu ante flagraverat: accedebat et accendebat civium amor, desiderio ejus impense faventium. Statuit ergo Dei nutum examinare pensculatus, et rogare, ut, quid a se fieri velit, manifesto ostendat. In medio harum sollicitudinum astu animo varie fluctuata, videt luminosos a cælo radios descendere, qui totum illum locum, quantus nunc monasterii est, incredibili splendore colluminabat. Non diu deliberandum fuit, quid magistra hæc lux doceret, rogavit, impetravitque a Crucis-Castellanis civibus fundum illum, ubi nascituræ familiæ cunabula poneret.

Vicinam ædi-
culam cum
heres pretio
vendere nol-
let, gratis im-
petrat.

25 Succedebat pulchre sub manus novum ædificium, non tam lapidum mole, quam virginum, quas congregaverat, sanctitate admirandum. Sed incommodabat novo huic collegio exiguum in vicinia domicilium, quod civis quidam nomine Tridianus possidebat. Interpellat heredem Virgo, non hominem, sed lapidem, imo omni lapide duriorem; neque prece neque pretio ullo flexilem. Ad cælum ergo conversa, quod multo esse mollius sæpe experta fuerat, cum Matre-Virgine Filium invocat, qui rigidum hunc virum cælesti virtute flectant, aut certe frangant. Audit cælum. Postridie multo mane festinat Tridianus ad monasterii januam, et crebro grandique sonitu evocatis sororibus offert suapte sponte, prius denegatam ædiculam. Accipite eam, inquit, si libet, etiam sine pretio. Isto enim in loco conspicabilem se

mihî præbuit hac nocte Cælitum Regina, et quam nunc fixam teneo, mentem indidit. Ut autem pro beneficio gratiarum officium Christiana redderet, aram illic erigi jussit Mariæ Benefactrici.

ACTORÆ
CORN. CURTIO.

26 Vix etiamdum procellosus hic contumaciæ ventus posuerat; ecce alius a sacro ordine surgit longe periculosior turbo. Potentem enim adversarium Lucensem Antistitem experta est: qui de jure suo, quod perditum iri quadantenus dicebat per hoc oratorium, nihil remittere voluit. At vero Episcopi pertinaciam fregit illa ipsa, quæ Tridianum; minitendo eidem asperime, si sancto ancillæ suæ proposito obicem vel minimum poneret.

Episcopum
Lucensem
Virgini diffi-
cilem Deipara
terrefacit.

27 Et tamen non est veritus novam illi et multo acriorem tempestatem quidam ad S. Viti Curio excitare. Erant per ea tempora in oppido Crucis-Castellano paræciæ quatuor. S. Viti, S. Andreae, S. Thomæ, et S. Donati, quæ postea in unum Canonicorum collegium coaluerunt. In ista autem S. Viti diocesi cænobium situm erat. Hic, inquam, Curio graviter sæpe asperere cum B. Christiana contendere, et velle plenissimum in toto Ecclesiæ suæ territorio jus dicere, et servare. Mollia quidem verba benigna Virgo reponebat; quibus non modo non mitigavit implacabilem viri iracundiam, ut etiam magis extimulaverit, odioque tanto accenderit, ut jam clare et palam monasterii se hostem profiteretur. Quam animi præfracti plusquam ferream obstinationem dolens Virgo (nam cetera vir probus erat) indixit sodalitia suo fervidas pro Parocho preces, persuadens certo sibi et sororibus, intestinum istud odium aliquando in amorem sincerum conversum iri. Fusæ preces ex corde intimo: quæ vi quasi divina grassatæ in cor viri penitissimum, ita turbarunt a fundo, mutaruntque; ut quanto antea opere cænobium oderat, tanto id postea tueri et protegere, quæ verbis, quæ factis, voluerit.

Parochum
sibi adversa-
rium preci-
bus conciliat.

CAPUT V.

Monasterium ordinat, litterarum cantusque scientiam sibi suisque impetrat.

Perfuncta feliciter omnibus hisce molestiis, convertit ad virgines, quas legerat, animum: quarum cœtus eximius videbatur, et de quo sibi blandiri Christiana posset. Sed pretium hic virtutem, non numerum facere, in mediæ noctis tenebris satis clare didicit: quando sepultis somno profundo sensibus, mentis oculis aperuit, viditque in cænobii sui area exerevisse multis ramosam brachiis arborem nucem; sub ea autem jacere magno numero dispersas juglandes: virginum quoque unam, ex primis, quæ in disciplinam Christianæ se dederant, Mariam nomine, nuces omnes in unum acervum accumulare, seligere deinde bonas, vitiosas vero aut cassas e monasterio foras projicere. Somno solutos oculos vix Christiana deterserat; cum illi, quam dixi, Mariæ portentosum hoc insomnium ordine recitat, eamque de mysterio, quod oculi non ignorabat, sententiam rogat. Tum illa: Ne nescias, o mea Christiana, nuces vitiosas, quas mea ejici manu vidisti, significare Virgines factas, quæ secundum parabolam Evangelicam, non habent oleum in vasis lampadarum suarum, et Sponsuum suum præstolantur oscitantes, dormientesve; bonæ vero, quas me coacervare et conservare vidisti, prudentes Virgines sunt, quæ hoc sacro in contubernio religiosam vitam ducent, anxie curioseque ad Sponsuum suum anhelantes, cujus nuptiis dignissimæ probabuntur. Atat me, subjunxit, miseram et ter miseram, quæ de numero insipientium sum, adeoque ex hoc sancto virginum collegio foras projicienda. Vaticinio respondit eventus: non multo enim post, cum aliquam-multis aliis puellis ad sæculi delicias nuptiasque egressa, cælestem Sponsuum morari no-

Statum sui
cænobii viso
cognoscit.

AUCTORE
CORN. CURTIO.

luit. Sic defæctum sodalitiū mira animorum in Christo tranquillitate gaudere ac frui cœpit, supra omnes vero Christiana eminere : quæ ubi de divinis sermonem instituerat, videbatur posito moleste carnis amicitie Angelum totum tota induisse.

Omnibus se
sororibus
posthabet.

29 Nihilominus tamen ea fuit modestia, ut, quæ revera mater erat reliquarum, auctore cœnobii, indignam se arbitraretur, quæ ferret nomen Antistitæ; et quanto antistabat omnibus, tanto posthaberi omnibus voluerit, omnium mancipium quasi de lapide emptum, servire ad nutum paratissima, et culpam fateri veniamque petere prostrato corpore, cui non satis apto servitio minus placuisset. Sed non caruit suo fructu ista animi submissio. Respexit humilitatem ancillæ suæ mundi Domina.

Magistram lit-
terariam Dei
Matrem ha-
bet.

30 Rogantibus virginibus (quæ uti matrem eam semper coluerunt) dederat pensum orationum familiarium quotquot diebus numerato et memoriter absolvendum : nempe imperitæ omnes erant, et legere indoctæ. Quanti vero referat non omnino ineruditas esse monachas didicit Virgo a nocturno spectaculo. Sedebat Deipara eo in loco, ubi Christiana amicis extraneis præsentiam suam commodare, aut dare aures negotiosis solebat. Tenebat autem manu altera codicem aureis litteris perscriptum, quem Christiana in genua provoluta obtulit, ore neque ridenti neque severo, dicens : Lege Christiana. Ipsa vero, profunda cum animi demissione : Domina, nescio legere. Illa vero cum jussum suum iterum iterumque repeteret, Christiana iterum iterumque reposuit tria sua verba : Domina, nescio legere. Tum Deipara : Efficiam, inquit, ut scias. Simul hæc dixit, disparuit. Reddita sensibus suis Virgo, pensulatus ruminavit hoc in somnium, examinando ætatis, quæ jam non parva erat, ineptitudinem; et tamen judicavit commode actum iri cum cœnobio, si haberet gnaram litterarum Antistitam, a qua reliquæ virgines instrui possent. Ecce adest statim præ foribus desiderate commoditatis articulus. Sacris monasticis initiatæ in album sanctimonialium adscribuntur sex puellæ, quarum duæ aliquando psalterium inspexerant, et panxillum, quod in eo discendo libaverant, alias vicissim docere cœperunt : deinde facinus palmarium ausæ, Romanum Breviarium volutare, et de horis Canonicis balbutire aliquid. Eoque crevit, auctore Deo, scientiæ cupido; ut, cum verba passim in compendium paucis litteris consonantibus contracta, magistri opem exposcerent, datus sit earum alteri a cælo doctor, Presbyter quidam venerabilis, a quo olim legendi initium hauserat, qui dubia ei dormienti exponeret, et difficiliore nodos expediret. Non potuisset vigilanti dari magister vigilantior. Omnia enim illius præcepta tam studiose observavit, et retinuit fideliter, ut eadem dare sororibus, et apprimè imprimere posset. Et tamen multa adhuc eam reliquasque latebant. Itaque Christiana pro omniscientia Deum Deiparamque frequenti, sed inani prece rogavit. Tandem ergo corde effusissimo sic exclamat : Regina mundi utriusque et Sponsi mei optimi Mater optima, quando me hæc, quam rogo gratiam, indignam video, agnoscoque, collubitum tibi sit, obsecro, ut minimum sororibus meis aperire, quod ancillæ tuæ absconditum esse placuit. Hoc dicto, codicem sumit, vicinæ sorori explicat, discitque ab illa eodem temporis puncto, quod antea utraque ignoraverant. Mundi ergo Domina respexit humilitatem ancillæ suæ, quod omnium magistra ad sui magisterium æquo animo sororum minimam admisisset.

Ipsa et reli-
quæ Virgines
canere sine
doctore dis-
cunt.

31 Sed non satis erat virginibus sacris callere litteras, nisi quoque ad Ecclesiastica odaria seirent vocem canoro modo inflectere. Ille ergo, qui argutam linguam doctumque ad carmina guttur volueribus, pio etiam huic choro eam modulandi artem dedit, ut ad aures demulcendas plusquam humanis

viribus instructæ viderentur. Id ita esse ut omnes credant, rem auctorem dabo. Ad oratorium Christiana in S. Joannis Baptistæ pervigilio viri religiosi concurrerant, ut vespertinas preces solenni cantu peragerent. In hymno dissonis vocibus male perstrepebant omnes, cujus initium pluries repetitum non poterant tamen legitimo tono reddere : ibi sanctimonialiales divino instinctu animate tam suavem vocum harmoniam ordiri, et quem vix unquam ante legerant, hymnum modulari cœperunt, ut Angelorum melos se audisse non unus aliquis crederet.

CAPUT VI.

Arcana, et futura cognoscit, prænuntiat.

Transeo ad aliud ostentum didacticum, quo ancillam suam Deus non tam erudiebat, quam delectabat. Vidit a cælo in terram defluere amplissimum conopœum; cujus pars maxima toto olympo latissime diffusa, ea vero, qua oratorium suum tangebatur, strictissima erat. Non erat opus alio augure, qui somnia hæc explicaret : ipsa Christiana suis ita sororibus aperuit. Viam, quæ ad cælos ducit, angustam esse atque difficilem, asserens; neque eum dignum rosam carpere, qui a spinis adhorreat; neque fructurum delictis spiritualibus, qui temporalium passionum amaritiam gustare abnuat; militiam esse vitam hominis. Hisce ergo spectaculis et quotidianis ad virtutem excitamentis solari sodales suas consueverat; omnibus interea interdicens, ne quidquam eorum, quæ contigisse sibi candide narraverat, ad extraneas aures se superstitie dimanaret.

Monstrata
sibi a cælo
mysteria vir-
ginibus suis
explicat.

33 Neque tantum intra claustrorum septa puellis innocentibus salutaria hæc documenta prædicabat, sed astutos quoque et peritos viros erudito captabat eloquio, et quasi manu, pro suo arbitrio, movebat. Illa, inquam, quæ neminem unquam hominem docentem audierat, tantum doctrinæ et habitantis in se sapientiæ specimen dedit, ut omnem quantumcumque perplexam et intricatam quæstionem sine difficultate enodaret. Quare frequens illustrium doctorumque virorum concursus erat ejus audiendi cupidine flagrantium, et profitentium, spirare ex ejus ore caelestem quandam divinæ sapientiæ auram, quæ ad salutis portum fluctuantes animas dirigeret.

Viri ejus do-
ctrina instrui
rogant.

34 Quid mirum? caelesti voluptate per singulos ferme dies delibuta, sæpe etiam destitutus sensibus, et exanimæ similis, nescio quo raptâ, intuebatur divinæ claritatis speciosissimum speculum, ex quo mentium humanarum non obscuram scientiam hauriebat : ut quoties defigeret in vultum hominis suos oculos, in penitissima simul ejus viscera sese penetraret, atque secretissima cordis arcana curiosa quæstione rusparetur. Indidem vaticinii spiritu inclauit, ut futura non minus certo, quam præsentia videret.

Videt homi-
num cogitata.

35 Suis profecto civibus opportuna, si credita, vates fuisset. Jamdudum ætatem inter eos et Fucechinos (vicini habitant) vetus et capitalis inimicitia fuerat. Ferro et flamma in se invicem sævire quotidianus ludus erat. Videns ergo Christiana suos Crucis-Castellanos ardere animo, et parare arma, quibus postridie in hostiles agros excurrerent vasta populatione, obnuntiare voluit, et cladem, quam prævidebat, avertere. Sub auroræ primos radios, signo dari jussu cogit magistratum, ad quem verba habet pauca, sed prudentiæ pondere gravia, solidaque : Non subito procurrendum, quo rapit malus animus, pessimi semper consilii auctor; non tentandum temere, unde poenitentia et ipsa poena sequi potest. Si porro ire vellent, quo proposuissent, manere eos ipsos vincula, quæ aliis paraverant, et certissima gravissimaque

Crucis-Cas-
tellanis cla-
dem prænun-
tiat.

gravissimaque damna. Ibi unus reliquis impudencior: Numquam tutum, ait, fidem dare mulierculæ: statimque cum risu exsibilato Virginis consilio, rapta arma, et pede citato itum in hostem. Jam flumen Arnun transiverant (Christiana interim sociæ suæ commonstrat horridum visu serpentem, qui ex altera fluvii ripa se Crucis-Castellanis objecerat) et vim faciebant in prædium dudum ante ad prædam destinatum. Fucecchini, cognito hostium insultu, non segnes et illi arma expediunt, ferunturque in adversarios tam inmaniter, ut non quæsito vado, quod nullum dabat fluminis æstus, neque metum facientibus Crucis-Castellanis, qui ripam omnem præsidio tenebant, sine ullo detrimento tranaverint, hostem ceciderint, admodum multis in vincula abreptis. Inter alios inultus ille blatero, qui non dandam esse fidem mulierculæ, stolidè clamaverat, cum filio suo cæsus occubuit, linguis per cervicem a radice evulsis. Miraculi id loco apud omnes habitum, et creditum penas contemptæ Virginis sumpsisse Numen de membro illo quod peccaverat.

Futura Umbronicus prædixit.

36 Oraculum sibi suisque magis propitium ab eadem Umbronicus quidam audivit. Turbabat illustres duas familias internecinum odium, quod extingui posse nulla spes erat. Alterius pater erat hic, quem dixi, Umbronicus: qui osus tam longum periculosumque dissidium, rogat Christianam, ut discordiæ hujus radicem funditus orando evellat. Illa crebro importuneque interpellata, benignis tandem verbis jubet securum parentem in utramque aurem dormire; familias quidem totas provolaturas in certamina cruenta multa, nullum tamen fatale, adeoque neminem periturum; arma prius in ipsis pugnantium manibus disruptam iri. Quæ omnia examussim evenere. Nam ruentibus in prælium utrisque, hic vidit dissilire in manu sua ferrum quod stringebat, ille gulam sibi transadigi, vulnus iste grave infligi, sed extra vitæ discrimen omnes, conformiter sanctæ Virginis præventio.

Franciscanis ad Tartaros proficiscentibus perditas litteras restituit.

37 Eodem spectat, quod addo. Quidam de familia Seraphica graves Patres ad Tartaros (homines pæne tartareos) destinati Apostoli, in via B. Christianam salutarunt. Longos illic logos de longissimo itinere, de amplissima officii Evangelici dignitate atque auctoritate multa verba serebant: privilegia etiam ad id muneris rite obeundum non vulgaria ostendere gestiebant. Quæsitâ in manica, in sacculo, in pera: frustra; in via, nescio ubi, exciderant. Ibi omnes subito gravis mœror incessere, et tantum non delinquenti animo. At vero Christiana: Bono animo este, inquit, o boni, salva sunt vobis vestra privilegia. Et remotis arbitris in preces statim incubuit, quas totam noctem perpetuavit; donec indice celo videret ea jacere sub junipero, quæ dimissus mane famulus reperit integra incorruptaque ab imbre, qui per eam noctem densus ceciderat. Inter restituendum vero, in Patrem, nomine Jacobum, qui ad iter et Evangelii messem paratissimis pedibus prurire videbatur, intuita, pronuntiavit non perseveraturum. Quod ille cum stupore tum quidem audivit; sed majori postea cum stupore viderunt omnes vatem falsam non fuisse.

Eorum unum ferventissimum pressigit non perseveraturum.

Nati pueri malam vitam, et mortem infamem prævidet.

38 Imo multa prævidit prædixitque vix nata fieri. Ex illis est, quod sequitur. Invisibat ad mulierem puerperam, et obtutu in vagientem infantulum defixo, dixit lacrymans pietatis lacrymas: O infelix pusio, quantum me tui miseret! Et ad circumstantes: Iste vitam ducet flagitiis infamem, finiet vero infamissime: quia spreto Numine, legibusque calcatis, totum se nefariis sceleribus cooperiet, tandem pro sepulcro crucei habiturus. Folium Sibyllæ recitasse visa est. In firmata enim ætate, abominandorum criminum reo et damnato gulam carnifex fregit.

Prædicit Thomasinum adolescentem, qui religionis ergo secutus turmam quandam peregrinorum, S. Franciscum Assisii solemni cum ceremonia

salutaverat, a recta via fortuito desciscere, et vagum errare. Monetigitur Joannem, sibi a conscientiæ arcanis venerabilem Patrem, ut ad monasterium cum rubore verecunde declinantem benevole excipiat; eundem Thomasinum vice Sacerdotis aliquando in cœnobio perfuncturum. Venit; et quod præsigavit, evenit. Sed quis stylo complectatur omnia, quæ illa prædixit? Potius est, manum mentemque ad virtutes ejus convertere, et quasdam ex eis singulares breviter persequi, unde nobis quisque vivendi exemplum optimum sumamus.

CAPUT VII.

Virtutes ejus, ac miracula.

Magnam Virginem principe studio semper coluit: cujus amorem semper virginibus suis serio mandare voluit, commendare etiam impense nobis, qui castitatis donum petimus, aut speramus præmium. Argumentum ejus illastre fuit, quod hic dabo. Deiparæ in celos Assumptæ festam diem ornaturæ monachæ, magnam præcedentis noctis partem laborando consumpserant. Jam oppido defatigatas tam profundus sopor alligaverat, ut non in aurem tantum, sed utrumque simul oculum dormire viderentur. Spisiori nocte discussa, plenum diem facturo Soli rubens aurora aliquamdiu præcurrere cœperat, priusquam somnum virgines excussissent. Pudore ergo non minus propter magnum undique advenarum concursum, quam dolore afflictæ propter festi reverentiam, quid agant omnino nesciunt. Christiana licet cum morbo difficili (qui letalis ei fuit) conflictaretur, protinus accurrit, easque ab omni animi molestia liberat esse jubens: Date inquit, filioliæ meæ, solemne æris campani signum, et matutinas preces celebri, tantaque festivitate digno cantu peragite: neque enim se ququam motabit aurora, atque uti nunc semel exorta est, donec vos officio finito quieveritis. Dictum bona fide a Christiana: factum eadem a virginibus. Scin' quomodo? Josue olim, (orbis miratus est) Solem ad occubitum propterantem edicto suo stitit: Virgo hæc nostra (orbis quoque noster stupeat) surgere ultra auroram vetuit, donec ei, quæ Lunam sub pedibus habet, debitum obsequium sorores persolvissent.

Solem orientem sistit.

41 Singulare in ea fuit orandi studium, in quo cum die noctem non semel conjunxit. Tam intenta frequenter precibus, ut dies totos eosque plures non meminere aut certe neglexerit cibum potumve capere. Rogata a sanctimonialibus, quæ valetudini ejus nimium quantum timebant, ut pro sustentando corporeculo pauxillum gustaret; frustillum panis cibarii sumere pro more habuit, antequam se in preces effunderet, ut pietati sororum daret aliquid, et ne gloriolæ vanæ fumo afflaretur: a quo nisi cavendum sibi maxime credidisset, non se ullum unquam cibum sumpturam sæpe asseruit. Non poterant enim illi, quæ de spiritu gustaverat, ea quæ carnis sunt, sapere.

Diebus noctes orando conjungit.

42 Porro dixisses pectus Virginis Ætheream aliquam fornacem esse, quæ flammam evomeret, et orationis ignibus ambureret omnes, qui eam propius accessissent. Nemo enim vel perfunctorio tantum alloquio eam salutavit, quin statim quotidianum ab ea orandi exercitium acciperet, et ad id servandum flexanima ejus dictione, quasi dictatorio imperio cogetur.

Orare alios docet.

43 Profusissima fuit in egenos: quibus, quod habebat presentarium, dispertiebat sine discrimine. Pannuceo cuidam mendicabulo pro foribus monasterii, stipem miseræ suæ levamen flagitanti, tunicam, quam induta erat, cum aureo nummo, quem solum habebat, donavit.

Misericordia ejus in pauperes.

44 Crucis-Castellum, et vicina circum loca fames acriter infestabat. Communi malo commune remedium querendum erat: Christiana invenit. In medio enim cœnobii sui arvo, multa faba consito, altam

Fame laborantibus civibus mirabiliter succurrit.

crucem

AUCTORE
CORN. CURTIO.

crucem plantavit, quæ invitaret omnes ad communem usumfructum. Novo quoque portento Deus adfuit. Accurrebant omnes turmatim, et pro stomachi inanitate rapiebant quantum volebant: neque tamen farbarum messis visa decrescere; ut omnibus a mortali fame unus iste agellus salutem daret.

43 Nec in pauperes solum pia, sed in omnes passim mortales singulari amore ferebatur: ut si qua cuiquam posset, libentissime commodaret. Sacrum iter ad Montem-Toparium aliquando instituerat cum Alexandro pio et copioso adolescente, et altero quodam, civibus Castello-Francis. Enimvero, dum inter ambulandum de rebus diviniorebus et amore celestium disserit Christiana, ecce Martis-Castellani, qui adversus Castello-Francis jus represaliorum (ut vocant) obtinuerant, obviam facti, in Alexandrum comitemque ejus insiliunt, prehensosque ambos trahunt in captivitatem. Consectatur fugientes Virgo nostra, orans, obtestans per sacrosancta Jesu Christi viscera; ut liberos eos recipiat, queiscum viam ceptam finiat. Surdo asello fabula caneatur. Ediculum ergo proximam ingreditur, et brevi sed ardenti precum jaculo cælum ferit, penetratque. Iterumque gradum accelerat, vociferatur voce vocalissima, et ut expeditum pedem reflectat, Alexandrum monet. Audiit ille, vertitque se, et revertit ad Christianam, et Montem-Toparium. Porro, ut vi occultiori factum id scias, exultabundi prædones Martis-Castellum attingerant prius, quam Alexandrum abesse cognoscerent. Illic ore indignabundo suam quisque indiligentiam accusantes, quando opulentum amiserant, alterum quoque paupertinum non illubentes dimiserunt.

Captivum
adolescentem
miraculose li-
berat.

Vulnus su-
bito curat.

46 Non minus commodam opem ab eadem Sabbatinus quidam, architecton Pisanus accepit. Is ædificando monasterio sedulam applicans manum, pedem offendit graviter in clavo, cujus periculosam cuspidem improvise calcaverat. Sed non tam ei vulnus doluit, quam quod Pisas frustra cogitaret; quo illi ex negotio proficiscendum erat. Condolere Virgo, et prece ad Deum concepta, obligare plagam ejus levi fasciola, atque ut postridie Pisas ambulet intrepide, animum addere. Simul ad urbem pervenit, sollicitus de plaga inquiri. Sed illius etiam vestigium fascia, an manus Virginis? neutra tamen sine numine, quasi deterserat.

Mulierem infe-
cundæ pro-
lem impetrat.

47 Crebra hæc et stupenda erga multos beneficia, quæ tota Etruria rumore magno differebantur, accenderunt etiam civem Lucensem, Francuccium, ut et ipse aliquid Christianam rogaret, certus impetrasere. Erat viro improles uxor, sed liberorum cupientissimus animus. Venit ergo Crucis-Castellum, et conjugis vitium, suum desiderium Virgini explicat, supplicatque ut voto suo potiat. Se nihil dubitaturum de eventu, si illa tantummodo annueret, quæ cælum hactenus semper habuisset exorabile. Illiusmodi precibus Virginem dies aliquot fatigaverat, cum ad Lucense iter expeditus, spes iterum suas ei commendat. Tum Virgo (sciebat Deum non surdas aures roganti præbuisse) ad Francuccium: An satis, ait, factum tibi erit, si filiam tibi tua uxor genuerit, quam huic postea monasterio offeras? Ille vero: Multo potius, inquit, hoc, quam aliud quidvis ambio. Audivit te Deus, reddidit Christiana: in ejus nomine revertere, et voluntati ejus conformiter vivere memento. Paulo post Francucci uxor portavit uterum, ipse deinde filiam (Jacobam dixere) ad Christianam: quæ, ubi per ætatem licuit, monachæ habitum induta tam religiose vixit, ut non tam precibus impetrata, quam electa et a Deo in custodiam singularem accepta videretur.

Exhausta
vasa vino mi-
raculose im-
plet.

48 Suis quoque deesse non poterat, quæ tam prona erat ad extraneos. Bono gloriôsæ famæ odore excitatæ concurrebant undequaque virgines, et monastico instituto initiandas se Christianæ dederant tam multæ, ut earum numerus jam grandior esset, quam ut commode ali omnes possent. Deficiebat ergo quodam

die in vasis vinum, ut nihil reliqui esset, quod postridie sororibus ministraretur. Sollicita Virgo tenellarum agnarum, quibus pasca defore prævidebat, nisi provideret supremus Pastor; nuncupatis precibus eum rogat, ut suarum in necessitatis articulo ne oblivisceretur. Uno verbo id insinuasse plus satis erat. En ille adest illico, et ubere vindemia implet penum. Quod mirandum ne per vulgi ora iret, severis silentii legibus sanctimonialia omnes obligaverat. Erupit tamen. Quidam enim, cum ad replendum vas, quod inane momento temporis ante fuisse non ignoraverat, amphoram admovisset, vidit magna vi ebullire, et in terram vinum abundanter diffluere. Attonitus ergo primo obtutu ad nunquam eatenus visum prodigium, proripit se foras, et quod viderat, statim toto oppido divulgat.

CAPUT VIII.

Obitum suum aliisque prædicit: moritur: sepelitur.

Illice studiis occupatam, non imparatam tamen sponsam habere diligentem per omnia magnarum virtutum vestigia subsequam, nisi passionis quoque suæ torculari eam subijceret, et expressis sordium omnium minutis etiam pulvisculis, ceu dignum holocaustoma amoris sui igni consummaret. Paralyti ergo illam tres omnino annos lecto affixit, afflixitque tam valide, ut latere dextero penitus funerato, quotidie cetero corpore millies mori videretur. Nihil tamen minus læta exporrectaque fronte, et ore ridenti, laudabat eam inter tormenta, quem pro se mortis amaritudinem gustavisse non illibenter, dicebat. Docebat suas ipsas sorores condolentes forti animo esse ad sufferendum pro dulci Jesu, quæcumque tempestas ingruerit. Certe nulla pœna tam gravis illi unquam incubuit, quæ mentem ejus, quam in cælum deflexerat, turbare posset, aut flectere ad humanæ infirmitatis deliquium. Sed quo major erat dolorum procella, tanto altius firmiusque fundabat suæ in Deum fiduciæ anchoram: adeoque, tum primo veram animi malaciam experiri, dilectoquo suo tranquillius ininiti meditando orandoque videbatur. Non est tamen passa Antistita, eam transire ultra ad oratorium, ubi sacris operanti Presbytero assistere, et præsentem in hostia sacra Deum adorare solebat. Notaverat enim viribus eam omnino destitui. Edictionem ergo illi imperiosam habet, et jubet quiescere: Deum, scilicet omni-tuentem esse; et cordis intima, ipsamque mentem penetrare. Non ausa contra hiscere, tanto libentius auscultavit Antistite, quanto se graviorem sororibus molestiam addidisse sciebat, quarum humeris ad sacellum ferebatur. Verum enim non caruit præmio suo tam prompta obedientia.

Paralyti la-
borat annis
tribus.

50 Nam, quem videre sub panis velo latentem non licebat, cernebat extra omnem nubem conspicuum, quoties Sacerdos faciebat. Id conscientia suæ præfecto Patri Joanni indicavit quidem, sed sub eodem, quo peccata solebat, sigillo: a quo non prius liberum pronuntiabat, quam ipsa in vivis esse desisset.

Videt Chri-
stum.

51 Pulsante fores ejus, et vocante ad coronam immarcescibilem ultimasque nuptias Sponso dulcissimo, cepit propinquam æterni gaudii felicitatem quasi concipere, emissis toto corpore radiis, qui adstantium oculos fulgore suo præstinguebant. Itaque summam vitæ suæ horam prædixit; ut et pleraque multa de patriæ tumultibus, monasterii raris eventibus, aliisque: quæ non incassum dicta fuisse, post-nata tempora deprehenderunt. Vocatus coetus sanctimonialium cum Antistita universus. Ab hac primum, deinde reliquis singulatim, Christiana, veniam, si qua deliquisset, submisso animo flagitare, omnium amplexus ambire; monere deinde omnes simul piis lacrymis, vota quæ Deo nuncupaverant, libenter reddere; vir-
tutum

Horam obitus
sui prædicit:
multaque
alia post se-
cutura.

tutum omnium basin humilitatem in caris et primis habere; sequi alacriter animarum Sponsum quo praeerat, assumpta in humeros cruce: denique proximum amare, sed super omnia Deum, et hunc pro ultimae voluntatis testamento sororibus discipulis suis scribere. Ibi continuo omnes in fletum prorumpere, et femineum ululatum. Haec vero nomen Jesu identidem salutando, corporis relicto impedimento libera ad caelos evolavit pridie Nonas Jannarias ccccxx, cum lxx, annos vixisset, quos omnes ab ipsis matris uberibus, Deo ejusque obsequio impendit. Sanctum Augustinum et Divos Augustinianos Christianae in transitu adfuisse scriptorum firma opinio est: credo, ut quam aliis saepe, ei quoque ad caelum viam praemonstrarent.

Vita defungitur.

Ab Angelis in caelum animam ejus ferri videt Fregia.

Corpus ejus radiis illustratur.

Funus ejus sanctimoniales pridem defunctae stipare vise.

53 De Angelis nullam habet res dubitationem; quorum inter brachia ad Superos evehi visa est a Fregia, muliere inter Pisanos nobili, cum summa in aede precibus intenderet. Ad quam, voce jam ultra quam humana: Gaude ait, amica mea Fregia, quia ad aeternas delicias felicibus Caelicolarum manibus subvehor.

54 Corpus fulgentibus circum beatitatis indicibus radiis illustre, excivit ad sui spectaculum vicina disitaque oppida, quae undatim sese effundebant: ut totos dies decem neque sepeliri, neque a concurrentium halitu vitiatum aere corrumpi poterit.

55 Primo ejusdem diei, quo animam dedit, vespere, solitis vestitum indumentis, eo loci deportatum est, ubi facile ab omnibus videri posset, alto in capulo, circumque lucentium tedarum denso ordine stipatum. Et ecce novum ostentum. Omni populo spectante procedunt e claustris monasterii quinque monacharum biniones, sereno vultu omnes venustae, pares corporis habitudine et viridi aetate, quae annos non amplius xxii numerare videbatur, indute vestem quasi Angelicam, concolorem illi, quam ferre Christianae in more erat, velo oblongo tectae caput; ambiunt feretrum, et componunt reverenter corpus ad considerandum. Populus mirari publico abstinere solitum sodalium, haerere in tam luculento earum vultu obstupidi, et quasi saxei a monstro Medusaeo. Venisse ad officium funerale defunctae persolvendum, eamque in rem veste tam splendida donatas esse ab Agnolo cœnobii benevolo Mæcenate, suspicio erat: quare fuit, qui vulgus arcere, et oratorio excludere vellet, ne qua sororibus justa parantibus impedimento esset. Sed cum ore ad gravitatem composito quidem, sed muto, aliquam-longo tempore religiosam stationem servassent, ingruenti densae noctis caligine, eodem, unde exierant, redierunt. Persuasum id sibi omnes diu habuerunt, donec cum Virginum Antistita Presbyteri quaesiti, responderunt nunquam ad id officii sorores convenisse; sed neque esse in toto cœnobio tres id aetatis et formae; praeter illa singularum indumenta esse vetera et lacera, ut non potuerint decenter se oculis vulgi conspicuas dare: credere se potius (si illi vellent oculis sui credi) fuisse sodales B. Christianae pridem mortuas (erant illae numero decem) quae matri suae et magistræ honorem illum publicum exhibitum ivissent. At nihil hoc quidem videri potest, praeterea alia sunt, quae ab obitu plurima maximaque patravit.

CAPUT IX.

Varia ejus meritis edita miracula.

Ex famulatio cœnobii domestico mulier ancilla, quae negotia foris expediunda accurabat, nomine Laurentia, morbo comitali obnoxia, tam crudelem interdum paroxysmum patiebatur, ut jactato immaniter corpore, vultum aliave membra laceraret, multis post sequentibus diebus ad omne opus inutilis. Cum se eo, quo vivere desiit, temporis momento, Beatae Christianae commendasset, nunquam dein valetudinis ullum incommodum, nullum morbum experta, gratias egit suae sospitrici.

Morbus comitalis curatur.

57 Per eos dies puellus quidam, seu innocenter, seu petulanter, ex oblatis cereis unum secum asportaverat. Domi jussus patri eadem vespere ad promendum vinum in cellam descendenti praelucere, non veretur sacrum hunc cereum accendere. Sed accedere ad dolium ipsum non potuit: dissiliebant enim fragore magno rupti circuli, et soluta tabularum compage undique vinum fluebat. Pater, qui pone puerum sequebatur, quo nescio religionis scrupulo anxius, rogat voce aspera, quid culpae isto die admissit. Ille, nihil circumlocutus planis verbis fatetur se candelam istam ex ara monasterii hodie subduxisse. Illico pater in genua provolvitur, et a caelo filii delictum deprecatur, restituendi cerei voto concepto. Et ecce novum prodigium. Subito, quasi congelatum stetit vinum, non potens ultra fluere dolio quantumvis soluto.

AUCTORE CORN. CURTIO. Qui cereum illi oblatum abstulerat puniuntur.

58 Eadem virtute et sanguinis profluvium stitit. Factum tribus verbis edicam. Mulier quaedam laborabat haemorrhoidis nullis medicinae subsidiis curabili. Fluentem enim sanguinem prohibere nemo medicorum poterat, nemo sistere imminuentem mortem. Jam linguae usum amiserat, et animam ipsam agebat stantem in limine ad exeundum. Aderat pollinctor qui lavaret cadaver, vocabantur sandapilarii qui ad sepulturam efferrent, cum parentes filiam ad sepulcrum Christianae abjiciunt: quae pie invocata, sanguinem e vestigio stitit, et fugientem animam revocavit. Sed quid miramur stare vinum, aut sanguinem ad Virginis nutum, quando orientem solem vidimus ejus jussu stesisse?

Invocata sistit sanguinis profluvium.

59 Ut mirum quoque non sit rebelles genios magnum in se Virginis imperium fassos esse; quando eodem statim, quo ad Superos transit die, obsidionem qua decem Crucis-Castellanas feminas diu impotenter presserant, solvere coacti sunt.

Decem energumenas liberat.

60 Hinc crescens tam rarorum miraculorum fama, mirum, quantum et fiducia et religionis finitimis Florentinis adjececit. Inter eos civis quidam decem et quatuor annos oculorum usu carverat, omni in posterum videndi spe destitutus: nisi quod videret jam plus sibi in Christianae meritis subsidii positum esse, quam in omnium medicorum arte. Ad aram illius perductari voluit. Venit, vidit, et vicit pia prece potentiam omnium chirurgorum. Sacerdos gravis ex ordine Praedicatorio, qui hunc a privatione ad habitum miraculosum transitum praesens notaverat, eodem loci pro concione bene denuo examinatum prodigium explicavit, et ad Dei laudem, Beataeque venerationem luculento praecoio homines, qui circiter bis mille accurrerant, excitavit.

Cæce oculos reddit.

61 Alterum Florentinum sub annum ccccxxxix vexabat apostema, inquietum malum. Is erat Lippus Adimarus, vir sanguine nobilis, quem in dextero latere id mali modo tam crudeli exercebat, ut omnem diu noctuque quietem illi inturbaret. Porro Adimari uxor habebat in pretio cruceem corallinam, quae a venerandis Christianae lipsanis pro ornamento aliquando pependerat: credebatur enim (ut semper ad pietatem pronior hic sexus est) a tactu tam sancti corporis virium supernaturalium aliquid cruci suae adhaesisse. Eam ergo pro malagmate, malo applicat, et in Christianae tutelam conjugem suum prece calida mulier committit. Non fuit inanis ea fiducia. Momento temporis rupto apostemate dolor etiam omnis fractus est, et vidit clare Lippus se integre convaluisse.

Apostema curat.

62 Monachus quoque Alti-passanus, monacham Sanctam, quae in alios tam rara beneficia quasi dephebat, se habiturum facilem credidit, si adiret. Hic a diutina paralysi male habitus, manum alteram pro trunco gestabat, etiam ad cibum sumendum ineptam. Incommodi hujus gravi taedio adfectus, ad Christianae tumultum visit: illic, inter precandum caelesti instinctu monitus, triduum trinoctiumque obhaeret, et salutem integram pie expectat, et plene adipiscitur.

Paralytico vires restituit.

63 Multo

AUCTORE
CORN. CURTIO.
Mortuum
puerum ad
vitam revo-
cat.

63 Multo illustrissimum et maxime stupendum est, quod S. Miniati oppidum vidit. Ibi puerulus, cui nomen Petrus, improvise lapsu in fossam aquæ plenam sese immererat. Suffocatus in ea jacuit solidum diem, mortuum fuisse quis ambigat? talem eum parentes post longam quæstionem reppererunt. Tollere ex aqua placuit, ut terræ mandaretur. Oculi sedes suas exierant, ut nemo non crederet, animam quoque suas reliquisse. Nihil parentibus præter plorare relictum erat. Quod ubi insigniter factum, venit iis in memoriam prodigiorum copia, quæ ad invocationem B. Christianæ facta ubique deprædicabantur. Salutem filio certam sibi promittunt, si eum sanctæ Virginis fidei commendarent. Votum ergo concipiunt, si puer ad vitam redeat, eum perpetuo monasterii obsequio se dicaturos, deinde miraculi testimonium, puerulum cereum ad aram ejus oblaturos. Non fellit eventus. Respiravit mortuus, et cum eo tantum non mortui parentes.

Ex puella da-
monem eiecit.

64 Non minus miserandum spectaculum fuit suis parentibus filia quædam Crucis-Castellana, quam hospes infernalis distinxit diuturno incolatu, et habuit pessimis sane modis. Cui enim non ipsa morte videatur vita magis miserabilis, cum tali inquilino; præsertim, quando nullum pellendo huic malo remedium invenitur? Frustra adhibebantur sacra carmina, preces cassæ virum erant. Non poterat contumax daemon ullis devotionibus moveri. Humani auxilii nulla specula supererat. Hinc, ut fieri amat, quando hoc deficit, itum ad Deum et B. Christianæ aram. Corrigiam Virginis (Augustinianæ religionis discriminale signum) in vexatam puellam injiciunt: et ecce (quantulæ rei quantum virtutem!) ejulare mox stygius obsessor, et hospitium excedere, puellamque exinde liberam sospitemque relinquere.

CAPUT X.

Alia Oringæ miracula.

Carnitas a
navfragii pe-
riculo expe-
dit.

Duobus post annis, millesimo, inquam, trecentesimo et trigesimo, Sacerdos quidam de familia Carmelitarum (nomen ei P. Henricus erat) cum altero fratre itineris comite, Crucis-Castellum Pisis advenerat, B. Christianæ sacra lipsana deveneraturus: et jam solutis, quas conceperat, precibus, domum maturabat. Fluvius Era transmeandus erat. Aberat a pontone suo portitor; neque erat alius, qui vicem ejus, in alteram illos ripam transmittere auderet. Valide enim auctum menstrua pluvia flumen in vicinos agros exundaverat, et rapidius volvebatur, quam ut imperitus aliquis naviculæ clavum regere posset. Carmelitæ nihilominus rogare duos ibi propter aquam stantes viros, ut hanc sibi operam gratificarentur. Negare hi primum, et excusare nentium aquarum insuperabilem impetum; donec irremissa monachorum flagitatione victi, tandem in navigium ingressi, trajicere nisi sunt, sed fluvium iratum. Ille enim nove e nubibus cadenti imbre irritatus insurgit, fluctibusque tam gravibus cymbam oppugnat, ut irrum-penti aquarum turbine oppressa, nutare et sidere clare videretur. Periclitari maritos suos cernunt stantes in ripa mulieres, et miserabiliter vociferantur. Præficarum istarum lessu monitus P. Henricus advertit vitæ discrimen, in quo cum aliis jactabatur: spe humani auxilii conclamata, in cælum vertit lacrymantes oculos, et conceptissimis verbis. Gloriosa, ait, Virgo Christiana, non ignoras tui causa hoc itineris a me susceptum; auxiliatricem in his angustiis mihi manum præsta, et ego tibi perpetuum obsequium spondeo annui in pane solo et aqua virgine jejunii, quo pervigilium natalis tui cultum et veneratum ibo. Nondum votum totum edixerat. Et vident se, sed quo bono vento nesciunt, ad ripam Eræ appulisse.

66 Nisi medio in oceano hæc aura felix Saccucio aspirasset, certum mari et ventis ludibrium anno cDCCCXLV debuisset. Is ex Italia solverat de portu suo, (Liburnensis erat) iter in Flandriam instituens. Satisprosperum cursum aliquandiu tenuerat, cum ventorum formidolosa procella surgere, et in navim incubare, momentoque huc illuc disjicere cepit. Omnium oculis præsentissima mors oberrabat. Salutis anchoram Saccucius sibi B. Christianam invocet. Vovet ei perægrinationem, si periculum hoc salvus evadat. Voto facto, posuere venti, iratique maris furor subsedit. Ille vero Crucis-Castellum reversus, invisit ad beatæ Virginis tumulum, et cereum gratiarum testem ad aram ejus obtulit.

Saccucium
quoque Li-
burniensem.

67 Cum nullus Etruriæ angulus sit, qui non ali-quod beneficium acceptum B. Christianæ ferat, tum vero Crucis-Castellum se civi suæ maximo patrocinii vinculis obstrictum fatetur: ut non modo Sospitricis illi titulum, sed Alexicacæ et Averruncæ nomen debeat. Argumenta huic rei edisseram. Magna hostium manus, Crucis-Castellum iter populabundi tenebant, ut in oppidum subitario impetu irruerent, et quantum quantum erat depraedarentur. Sub ipsos pæne muros accesserant ad prædam inhiantes; cum rebelles et refractarii equi nullis calcaribus adigi possent, ut procederent; sed flexis poplitibus quasi venerabundi, locum, quem directum ibant, adorarent. Incessebat religio nescio quæ milites, ut oppidum, quod bruta venerarentur, vererentur accedere. Coire jussi Præfecti et rogati sententiam, quid agendum. Statutum, in oppidum emissarios dirigere, qui indagarent, esset ne intra muros aliquid honore non vulgari, cultuve dignum. Audiunt Christianæ sacras exuvias fulgere istic miraculis, et in numero Cælitum apud cives et finitimos haberi. Dux militiæ præstato ante jurejurando nihil damni se illaturum oppido, oppidanisve, copiam tumuli visendi impetrat. Reverenter oratorium Virginis ingreditur, factisque ad Deum et Divam humiliter precibus, reliquit posteris ad miraculi testatissimi memoriam, equi sui ferream solem, quæ ad ædis januam clavus trabalibus adfixa etiamnum monstratur.

Crucis-Ca-
stellum a
prædonibus
servat.

68 Alterum patrocinii ejus magis recens est argumentum, quod Clementis VII tempore accidisse historiarum memorant. Hibernabant Castello-Crucis turma militum Hispanorum, et non aliter quam Sagunti olim, simul pugnabant cum hoste crudelissima atque infestissima fame; quæ horreis omnibus exhaustis, despoliatisque granariis mortale jejunium toti oppido interminabatur. Ut ei fortiter resisterent quæsitæ media remediaque, non inveniebantur. Sycophanta quidam, cui ad infimum ventrem fames adhæserat, ut inanimentis explementum aliquid reperiret, clamat in cœnobio abundare insignem annonam. Facile persuadebatur præda esurientibus lupis. Nulla mora; militum Tribunus illuc se proripit. Vident, accurrunt Crucis-Castellani: et ad tumultum respectare cepit. Ibi ille multa excusare, non esse animum sibi noxium, non modo nullum se virginibus damnum illaturum, sed prohibeturum etiam vim omnem, et serio ac severe puniturum: tantum rogare, ut liceat de rumoris veritate oculorum suorum testimonio arbitrari. Tam lenibus verbis facile priorem januam occupare potuit: sed ut ne alteram videret, divina manus ei glaucoma ob oculos objecit. Clamantem Tribunum: Educite me, milites rapuerunt. Cæcus jam, cum videret facinus suum, severo militibus edicto vetuit propius monasterio accedere, et post fusas ad Virginem preces, iterum pulsa nocte lucem vidit: ut in Christiana tum Solem agnosceret, quæ oculis diem pro lubitu auferret, referretque.

Militum Hi-
spanorum
Tribunum
monasterii
annonam au-
ferre paran-
tem cecitate
punit.

Resipiscen-
tem curat ite-
rum.

Hæc de multis pauca, cui hæc non sufficiunt, licebit ei F. Honorium Crucis-Castellanum adire, miraculorum B. Christianæ Italico calamo pleniorum scriptorem.

XI JANUARI